

32

FACULTATIS THEOLOGICAE  
IN  
ACADEMIA VVITTEMBERGENSI  
DECANVS  
**IO. GEORGIV  
NEVMANNVS**

SS. Theol. Doct. Eiusque Prof. Publ. Tem  
OO. SS. Præpositus, Consistorii Eccles. Aſſeff. &  
Academie Bibliothecarius

*LECTORI BENEVOLO  
SALVTEM PLVRIMAM DICIT*

ET  
MAGNIFICVM ACADEMIAE  
**PRO - RECTOREM**  
PROCERES ITEM ET PATRES ACADEMIA  
CIVES DENIQUE VNIVERSOS

AD  
*ORATIONEM AVSPICALEM  
SS. THEOL. CANDIDATI*

DIE XXII. JULII H. L. C. HABENDAM  
EO, QVO PAR EST, HVMANITATIS STVDIO  
INVITAT.



ALDVINO in Senioris munere successit WOLFGANGVS FRANZIVS, qui tamen, elapso vix anni spatio, illud iterum dereliquit. Adeo incertæ rerum omnium vices sunt, ut ipsæ etiam dignitates, quasi ambulatoriæ, sëpe præter speim, ab uno ad alterum transleant. Vt proinde hujus viri meritis universa Ecclesia plurimum debet, ita æquum piunque est, gratam ejus recordationem in hac præcipue Schola superesse, in qua ad tricelimum fere annum floruit, quamque optimis literis & solidis doctrinis mirifice illustravit. Ut vero a natalibus ejus pro more ordiar, Plavia Variscorum, antiquum & percellere illud oppidum, est, ubi A. c. I. LXIV. lucem hausit, Patrem sortitus PHILIPPVM, civem honestissimum, matrem vero MVLINGIANAM, Senatoris & Camerarii, quem vocant, filiam. Iam, ipsa ejus juventus, quibus ducibus instituta, quibus studiis exulta, qua industria perpolita fuerit, nihil interest posteritatis, recitare. Communia hæc sunt, & quæ a quibusvis præclaris mentibus expectes. Quin ipsum illud eruditioñis & honoris culmen, quod consendit Noster, de tempore non male collocato, testatur. Primam studiorum matrem Francofurtum Marchicorum delegit, ubi sub Ioachimo Franzio, Philosophiae Doctore, eodemque patruele suo, quoddam sapientiæ humanæ aliarumque literarum curriculum fecit. Quod, ut absolveret plenius, Wittenbergam se contulit A. c. I. LXXXV. Nec eum huius profectioñis unquam pœnituit. Cum enim celebres in unaquaque arte duces hic reperiret, eo mature profecit, ut per gradus, quos Philosophorum Ordo pandit, strenue contenderet, & clarissimos inter viros locum sibi vindicaret. Erat hoc infaustum illud tempus, quo, ex Calvini Schola, subdola quædam turba

pro-

proruperat, & in hac purioris doctrinæ sede clanculum cœperat  
nidulari. FRANZIVS igitur, errore ætatis abreptus, in has  
syrtes incidit, & cum *Urbano Piero*, tum *Henrico Majo* in pri-  
mis, qui subscriptionem Formulae Concordiae coram ipso Prin-  
cipe F RIDERICO WILHELMO recusaverat, constan-  
ter adhæsit. Feruida enim ingenia facile capiuntur novis ejus-  
modi placitis, quæ rationi blandiuntur, eoque *πιθανὰ* ab Apo-  
stolo vocantur. Sed, re altius expensa, Noster vanitatem hujus  
sectæ & fraudes illico deprehendit, DEOque liberatori per o-  
mnem vitam gratias egit, quod, ope magnorum istius tempo-  
ris Confessorum, *Lyseri*, *Mylii*, *Hunni*, *Gesneri* aliorumque, ex  
hoc naufragio salvus evaserit. Neque tamen hoc ipso labem  
sibi contraxit aut maculam, sed omnem heterodoxiæ suspi-  
cionem a se penitus abstersit. Praestat enim, Manichæum fu-  
isse cum Augustino, & resipuisse, quam cum Tertulliano quon-  
dam orthodoxiam defendisse, & in Fanaticismum degenerasse.  
Fructus erroris istius hic fuit, ut, quo artes adversariorum per-  
spexit penitus, hoc solidius postea eos refutarit. Cum pro-  
inde totum se addiceret puriori cœtui, essetque in magna spē  
provinciæ bene administrandæ, communī Patrum suffragio, &  
superiorum gratia, contigit, ut A. Cl. I. XC VIII, in amplissima  
historiarum Professione, Doctori Frid. Tilemanno, suo quon-  
dam Præceptori, surrogaretur. Quoniam vero ad majora na-  
tus omnium judicio videbatur, eodem adhuc anno gradum  
in Theologia Summum, promotore *SALOMONE GES-*  
*NERO*, indeptus est. Nunc igitur fortunam & dignitatem sat  
amplam consecutus videbatur Franzius; sed, cum tenue illud  
stipendum alendæ familiae haud sufficeret, ipsa res angusta  
domi permovit illum, ut de mutanda statione cogitaret, &  
tertio post anno Kembergensis Ecclesiæ Ephoriæ sese præfici  
pateretur. Quod munus per integrum quadriennium, &  
amplius, sustinuit. Olim enim quandam velut coloniam  
Professorum Wittenbergensium eo ductam, accepimus. Nam &

Matth. Blochingerum, & D. Bugenbagium juniores, & Ieremiam Spigelium, Professionis publicæ spartam, cum sacro hoc munere commutasse, constat. Causam ejus rei Buchnerus aperit, ubi Ieremie Spigelii Eloq. Prof. P. discessum Iano Grutero his indicat verbis: *Spigelius mutavit partes, & de penula ad tunicam talarem migravit.* Nostri enim cathedras nostras steriles. Interea temporis non modo strenue excubias egit pro Ecclesia, sed & aliquando in societatem laborum a Theologis electus, nonnunquam ad visitandas per hunc circulum Ecclesiæ adhibitus fuit, ut testantur annales. Quibus omnibus perspectis, dignum eum judicarunt Academicæ Patres, quem revocarent ad hanc Musarum sedem, & Theologiæ Professorem, Templi item, quod OO. SS. nomine dedicatum est, Præpositum, designarent. Quo munere quanta cum laude, qua legendo ac disputando, qua conciones habendo e suggesto, functus sit Noster, multorum ore celebratum est, & publica ejus, quæ supersunt, monumenta id loquuntur. Initium laborum ab Aug. C. cepit, quam per formam thesuum explicuit, easque publicis disputationibus, in Templo Academicō, per integros tres annos subjecit. Accidit autem, ut quidam Andreas Woidovius, auditor Franzii, in Poloniam rediret, & Val. Smalcio, Photinianorum coryphæ, has commentationes offerret, qui, cum aggressus Franzium fuisset, non secus, atque ad saxum, allitus, *Vindictus* ejus pro Aug. C. editis fortiter repressus est. Habet certe suos quæque ætas hostes & adversarios Christi. Et ipsum quidem initium superioris ævi hydra maxime Sociniana infamatum fuit. Nam præterquam, quod Confessionem Racovensem huic Academiæ, & aliis præterea eruditis cœtibus, inscripsissent apostata isti, in primis etiam *Commentarium Socini de Servatore*, ut invictum, sermonibus & scriptis suis venditabant. Annos quippe decem & septem egregio scil. huic labori auctor impenderat. Noster itaque, gloriosos ejusmodi milites indigne ferens, edita, quam vocat, *Schola Sacrificiorum Patriarchali-*

*chalam, jugulum quasi petuit istius Commentarii, & Christum quidem unicum illud Sacrificium esse, quod typica illa designarint, perspicue demonstravit. Non parum jam laboratum fuerat in interpretatione Scripturæ, sive Patres, sive Scholasticos, sive ipsos antececessores orthodoxos, spectes. Sed ratio interpretandi requirebatur compendiaria, eademque perpetuis illustrata exemplis. Hanc ipsam Franzio debemus auctori: quippe qui in eruditissimo, de Interpretatione Scriptura, opere, duabus quasi columnis studium hoc suffulciendum, monuit, quarum alteram Philologiam, alteram Philosophiam, constituit. Inde namque textum, hinc συνάρθεντα & contextum, indagare, neminemque & propositionum naturam feliciter dijudicare, docuit. In utroque autem genere, illustre quoddam exemplum præbuit ipse. Iam & illo ævo eloquentia sacrae studium excoli cœperat, sic, ut non prodesse tantum, sed & delectare, tractatores rerum divinarum, sui munera esse, ducerent. Nam præclarus in disciplinis Rhetorum locus SIMILITUDINVM est, ut mirum non sit, ipsum religionis nostræ conditorem ac ducem tam familiariter parabolis usum. FRANZIVS itaque, ut studiosæ juventutis desideria & in hoc genere expleret, *Historiam animalium Sacram* edidit, in qua præcipuas animalium virtutes ad meditationes Sacras accommodavit. Qui labor ejus, quo fructu constiterit, vel iteratae toties editiones testari possunt, sic, ut sobrius ac cordatus ille Lipsiensium Philosophus ac Theologus, D. Cyprianus dignum judicaverit opusculum, quod denuo insigni cum accessione produceret in lucem. Cetera ejus monumenta ne attingo quidem, quando, ut ex ungue leonem, sic ex uno alteroque libro Theologi ingenium ac judicium, satis cognoscimus. In scripturis *Historicis* ex quovis capite Drama quoddam adornandum, monet, ut cuivis personæ sui relinquantur sermones; atque hinc sensum ejus feliciter erui posse, judicat. In *Propheticis* multum subsidii ex Monarchiarum statu ad interpretandas Scripturas accedere, existimat, de quo Historiam in*

primis profanam consulendam, putat. De reliquo interpretem  
jubet cuiusvis Scriptoris affectum indueré, non Prophetico-  
Apostolicum, quorsum id trahunt novatores nostri; quæ enim  
hæc *κανονιζητικά* foret? sed oratori sacro conformem, qui ex  
Rhetorum præceptis argumenta παιδιτικὰ investigare debet,  
ut, quo plura hujusmodi investigat, hoc felicitus dicentis ani-  
mum assequatur. In confutandis adversariis non suadet sectari  
minutias, sed nervum controversiæ incidere, ne cumulentur  
lites, sed præscindantur. Aliquando albo studiosorum ab eo  
inscriptum vidi studiū: *σύλοι τῶν ὀικου τὰ τέκνα*, haud dubie,  
quia ipse sex liberorum pater erat, quos ex uxore Harringia su-  
scepserat, testes divinæ gratiæ, ut ipse vere prædicabat, lucu-  
Jentos. Ceterum & habet Academia, quod ipsius prudentiæ  
domesticæ tribuat. Nam Νοσοκομεῖον, quod PR. Fundator hic  
exstruxerat, per temporum injuriam collapsum & propemodo  
extinctum videbatur. Franzius itaque, corrogatis apud  
exteris, ut stylo sacerō dicam, *ἐν λογοτύπῳ*, instauravit hanc oco-  
nomiam, ut studiosi ægri ac languidi etiamnum hic refici-  
antur. Sed properandum mihi ad ultima FRANZII est,  
in quibus quoddam humanæ miseriae observes spectaculum.  
Nam, sub tanta laborum mole, apoplectico πάθει tentatus,  
altero privatus oculo fuit, tandemque ita dejectus viribus, ut  
per integrum octennium, nec domo egredi, nec demandati  
officii partibus fungi, potuerit. Interea tamen stipendum  
ex mandato Electoris salvum retinuit ac integrum. Sic &  
in concionibus habendis vices illius absque mercede, in se  
suscepit Balthasar Meisnerus, collega, quod non sine laude  
commemorat Roherus. Atque hoc exemplum successo-  
res ad eandem pietatem incitavit. Nam Scharfium, Præposi-  
tum hujus Templi, Kunadus, Quenstedium Mayerus quon-  
dam noster, & posthinc Waltherus, ut constat, in hoc labo-  
rum genere sublevartint. Ipse etiam B. Deutschmanni vi-  
ces, quod præfiscini dixerim, lubens in me recepi, & per qua-  
tuor

tuordecim annos, quantum in viribus fuit, sustinui. Tandem, reparatis quasi viribus, redeunte apoplexia, FRANZIVS pie placideque diem suum obiit, istius seculi A. XXVIII. ætatis vero LXIV. Ita quidem nunc stantes mori videoas Theologos, quod Imperatorem decere veteres ajebant, nunc decumbentes, & muneris sui onere oppressos.

Quemadmodum igitur militiae addicti, vel Scipionis, vel Hannibalis, vel alius magni Imperatoris, intuentur vitas, atque hinc consilia & strategemata addiscunt: ita Theologiae Candidatis Virorum præclare de Ecclesia meritorum exempla ob oculos ponimus, ut, his conspectis, ad æmulationem eorum laudabili-ter incendantur. Prodit ex his *Nobilissimus Præcellentissimusque Vir*, DN. M. PAVLVS GOTTLIBIVS HOFMANNVS, Torgavia Misnicus, SS. Theolog. Candidatus dignissimus, cui ad summos in Theologia honores deinceps consequendos, more institutoque majorum, viam munimus. Tametsi enim is, ut Cæsar olim, visa Alexandri M. statua, ingemiscat, quod vix dimidiā Fratzianæ doctrinæ & virtutis gloriam attigerit, tamen hac tanti viri imagine exstimulatur, ut altius aspiret, & omnes ingenii nervos ad res præclare gerendas intendat. Clarus hic genere suo est, Patrem nactus Virum, doctrina munerasque dignitate inlytum, B. P A V L V M HOF- MANN V M, D. Theologum celeberrimum, eoque tempore Antistitem Torgaviensem, postea vero Thoruniensem Seniorem, i.e. filio nostro Superintendentem, gravissimum: Matrem vero IOANNAM SVS ANNAM BIRNBAVM IAM, magni Dresdensium Archiatri filiam, matronam laude nostra majorem. Sed, cum natalium splendori, doctrinæ decus longe anteferendum sit, prima istius semina e Gymnasio Thoruniensi hausit, ubi sub fidelissimis ducibus, *Wendio, Iohannide, Sartorio, Bæbnio, Resickio* ceterisque, insigniter profecit, ut, hinc discessurus, sub præsidio CL. Sartorii, eximum Disputationis specimen relinquere. Dehinc Musas Vratislavienses salutavit, &, præeuntibus meritissimis Viris, *Gryphio, Küpfende-*

ro & Titio, insignes in literis humanioribus & Philosophia fecit progressus. Sed fama incliti Theologi, D. Schetwigi, quem Deus servet! excitatus, Gedanum se contulit, atque hoc Praeside duas Disputationes habuit, alteram de *Novis simis contra Quakeros*, alteram proprio Marte elaboratam, de *Marcellino, ultimo Romanorum Episcopo Sec. III.* Nec parum se debere fatetur Boebrio *Wolfo* que istius Gymnasi Professoribus, sic, ut horum institutionibus ad adeundam Academiam plane idoneus redderetur. Primum itaque Regiomontanam delegit, & in D. Wegneri, *Viri ὡροδόξοτούς*, at nuper admodum, non sine Ecclesiæ damnō, defuncti, D. Pessarovii item scholis Theologicis, doctrinam salutarem imbabit. Biennio autem elapsō, Lipsiam se recepit, atque ibi, lauream Philosophicam indeptus, cathedram descendit, & Praeses ipse de triplici Principiis Regimine, qua est ingenii felicitate, disputavit. Tum vero Magnifico D. Pippingio, hodie Venerabili Dresdensium Praesuli, tum Ittigio, Seligmanno & Schmidio, se magno opere approbavit. Sic & Hartium, Wernerum, Crellium, & Reineccium, de se studiisque suis benemeritos praedicat. Nec parum se profecisse in Collegio Homiletico, fatetur, quod maximum dicunt, & illo *Philo-Biblico*, quod sub praesidio D. Cypriani celebratur. Tandem vero, ut metam studiorum contingere, jam ante annum ad nos venit Candidatus noster. Ac initio quidem inter Philosophos inclarescere coepit, habita sub Praesidio celeberr. D. Roeschelii de *initiis rerum naturalium* disputatione, mox ipse, superiore consensa cathedra, de *primo creationis opere*, & paulo post de *Angelorum existentia*, magna cum laude disseruit. Inde nostras omnium scholas, tum privatas, tum publicas, sedulo frequentavit, & me quidem praeside, argumentum de *Revelatione divina & Enthusiasmo*, masculine defendit, ut non dubitaremus eum inter Candidatos Theologiae recipere. Quare, ut in Academiis praelaras animi dotes exsereret, impetrata Serenissimi REGIS & EL. gratia, solitos in Theologia honores petiit, nec omnino fuit, cur honestis adeo desideriis obniteremur. Craftina igitur die V.D. orationem solennem habiturus est, contra orthodoxie criminatores, ad quam Panegyritin, Magnif. ACADEMIÆ PRO-RECTOREM, ceterosque Patres C. & cives universos, ea, qua pars est, humanitate, invitamus. PP. Dom. VIII. Trin. cīc Iō CCIX.

VVITTENBERG AE, STANNO GERDESIANO.

✓

00 A 6436


**ULB Halle**  
004 931 300

3



KD 18







37

IS THEOLOGICAE  
IN  
WITTEMBERGENSI  
CANVS  
ORGIV  
IANNVS  
isque Prof. Publ. Tem  
Consistorii Eccles. Assess. &  
Bibliothecarius  
I BENEVOLO  
LVRIMAM DICIT  
ET  
VM ACADEMIAE  
ECTOREM  
T PATRES ACADEMIA  
QUE VNIVERSOS  
AD  
AVSPICALEM  
CANDIDATI  
II H. L. C. HABENDAM  
HUMANITATIS STUDIO  
INVITAT.